

nihil omnino facerent, & Fratres nihilominus licentiam haberent, quia in fraudē legis esset talis reuocatio sine iusta causa. Ex ea tamen posse utiq; datas licentias reuocare, ut puta, si aliquis ex dictis Fratribus post licentiam scandalosē conuersaretur vel efficeretur surdus, aut mēte captus, & huiusmodi, quia textus requirit personas idoneas, & vita probatas.

6 ¶ Tertium dubium est, circa auctoritatē talium confessoriorum, quænam sit & quanta illis in dicta Extrauag. Dudum, concessa? Et respondetur, quod tales confessorij eandem habent auctoritatem, & potestatem ad absolvendum, quam habent ex iure presbyteri Curati, vel Sacerdotes parochiales. Habent tamen Parochi ex iure auctoritatem ad absolvendum ab omni peccato, & excommunicatione maiori à iure lata, quæ non reservatur alij Superiori, & per consequens eandem habent auctoritatem Mendicantes debitē præsentati, & approbati, prout tenet D. Thomas. D. Bonauentura, Syluester, Gutierrez, & Navarro prout dicit Pater Emanuel To. 1. q. 61. ar. 2.

7 ¶ Quartum dubium est, An Priores conventuales, & Guardiani possint facere eiusmodi confessoriorum præsentationem coram  
Epis-